



25.4



St. 405.

Vc  
4887

*Ad Illustrissimum, Principem,  
ac Dominum,*

**Dn. JOHANNEM GEORGIUM,**

*Eius Nominis II.*

*Ducem Saxon. Jul. Cliv. & Mont.  
&c.*

*Dominum suum Clemen-  
tissimum,*

**EPISTOLA**

Gottfried Finckelhausens  
J. U. C.

*Super finalem Maji: Ejusdem  
Celsitud. Natalem.*

*Charactere BERGIANO,  
OO IDC IIII.*





**A**B eo tempore, Illustrissime Princeps,  
quo Athenis Patriis hūc deveni, omnem  
sanè móvi lapidem, ne quid omitteretur eō-  
rum, quibus Tuæ Celsitudini à subjectissimo  
cultu, quem Tibi Tuorum minimus debo, sa-  
tis fieret. Animadvertebam enim, quic-  
quid Symboli Pietatis & observantiæ nostræ  
in Te à nobis proficeretur, hoc omne qua-  
si cùm fœnore in nosmet illicò retundatu-  
rum esse. Ac ne quid in hoc opere in or-  
dinis decentiam committerem, à Serenissi-  
mo Parente Tuo auspicatus sum, felicissimo  
Ejusdem Natalium recursu abundè satis ma-  
teriam mihi subministrante. Ingenuè edi-  
cam, quod res est.

Laudatissimi Majores nostri, pensita-  
bam mecum, quosdam Dierum, quibus for-  
tunam Novercantem fuerant experti, ceu in-  
felices, atros funestosq; abominati sunt;  
aliosq; si quid rei lætioris Iis accidisset, velut  
auspicatos, albos & candidos curioso delectu  
observarunt. Judæi Diem Augusti Deci-

Sabel. l. 6. c. 12  
Gell. l. 5. c. 17.  
Cælig l. 14. c. 9.



mum lugubrem & feralem dixere, quod hoc  
ipso elegantissima Salomonae Templi structu-  
ra flammis exulta, in damnatos & fuliginosos  
cineres consedisset. Idus Martias, Julio  
*Alex. ab Alex.*  
*l. 4. c. 20.*  
Cæsari exitiales, Parricidium nominarunt  
Romani: Quibus & omnes isti dies, po-  
stridiè Calendas, Nonas & Idus cujuscunq;  
Mensis, neq; præliares, nec Comitiales esse  
poterant, quod his ipsis magnis sæpè Cladibus  
*Esth. c. 11. v. 11.*  
devicti succubuisserent. Judæi, sublatâ u-  
niversi sui Generis excidiū decretoriâ sententiâ,  
pro libertate pugnantes, Diem, cæsis suis ho-  
ustum emortualem, in solenne festum trans-  
*2. Macc. c. 15.*  
tulerunt. Dux eoum Judas, Triginta  
quinq; millibus fusis, obtruncato Nicanore:  
& Persæ, devictis Magis triumphantes, pu-  
gnæ suæ & Victoriae Diem feriandum quotan-  
nis decreverunt. Eundem quoq; Rex Cy-  
rus, quo Scytharum & Sacarum magnani-  
mus Victor extiterat, tanto cultu æstimavit,  
ut Regias inter epulas Sacum appellaret. Xer-  
xes inauguralem Imperii suilucem, quo Rex  
dictus

dictus fuerat, singulis annis veneratus est, Alex ab Alex.  
l. 4. c. 20.  
templumq; ingressus, regali aptato diadema-  
te, pinguiores victimas in sacrificium Altari  
obtulit, suisq; Satrapis cænam instruxit lautis-  
simam. Romæ, Idibus Augusti, Servi &  
Mancipia ferias agitabant, in Servii Tullii ho-  
norem, hâc ipsâ Luce ex ancillâ nati, & post  
ex ignobili hoc ortu ad Regni fastigiam elati.  
Eodem die caput fæmellis lavare felix & fau-  
stum putabatur: Donaq; misitabant invi-  
cem Romani, suas ostentabant opulentias,  
servicq; suis cum Dominis æquali jure collude-  
bant. Quin & apud eosdem, attestanti-  
bus Spartiano & Lampridio, Dies & Ludi erant  
Natalitii, in Clarissimorum Virorum Natali-  
bus habiti.

Cum verô ista prudentissimæ olim  
probata fuerant Vetus stati; & Nobis utiq; (ita  
constituebam mecum:) vestigia Eorum lice-  
bit premere, Diesq; cæteris feligere religiosio-  
res, ex quibus & non vulgaris gaudii, & certi  
Ominis quid Nobis obvenisse comperti su-

A 3 mus



mus. Ac sanè si quis omnino dies nostro  
hoc seculi ævo Literariæ Republicæ, Totiꝝ  
Saxoniæ bono contigisse judicandus, quem  
singularis & anniversaria Pietas devotusꝝ de-  
ceat cultus, Natalis utiꝝ erit Serenissimi Po-  
tentissimiꝝ nostri Principis ac Domini, DO-  
MINI JOHANNIS GEORGII, SAXONIAE, Ju-  
LIAE, CLIVIAE & MONTIUM Ducis, SACRI  
ROM. IMPERII ARCHIMARESCHALLI, SAXO-  
NIS SEPTEMVIRALIS, CAESAREAE MAIE-  
STATIS ENSIFERI, &c. DOMINI NOSTRI  
CLEMENTISSIMI, cui quinta Martii mensis  
Lux sacra est, quæ si solenni applausu devo-  
toꝝ voto excipiatur, ecquisnam vitio vertet,  
aut opprobrium dicat nobis?

Conceperam tunc, ultrò fateor, li-  
neolarum aliquid, non ut vanissimo ostenta-  
tionis ausu inconsulto calore in pùblicum  
prosilirem, vel exquisitoris cujusdam Latini-  
tatis studium exhiberem; sed ut domi sche-  
diis meis delitesceret illud, sicꝝ restrictam se-  
quioris censuræ sciolorum notam fugeret.

Cumꝝ



Cumqp post â nullo quopiam nec literarii nec alterius Ordinis Senatu votivas unquam acclamations Serenissimo nostro delatas esse certò compereram, in hanc demùm animi sententiam, Eorum suasu qui hortari & jubere possunt, prolapsus sum, cultum istum, toties desideratum, publico exemplo ad Academiam transferre, istasqp lucubratiunculas, condescendi licet destitutas lepore, Augustissimo Potentissimi nostri Saxonis Natali sacratas, Cathedræ sistere.

Anniversaria quidem Illustrissimorum Ducum Electorumqp, Divi Augusti, Mauritii, Christiani Primi & Secundi, sæpius in Lyceis nostris reculta est & adhuc recolitur memoria: Conductâ tamen devotione, cùm mercenarius hic Orator vile lucellum florenorum quorundam ex locariâ suâ operâ sibi spondeat: Ipsius verò Serenissimi Electoris nostri ortus & Natales, Heroinæ itidem virtutes, & divino hactenus auspicio firmæ adhuc valetudinis incrementum cum nullum sala-

stro  
tiqp  
em  
de-  
Po-  
O-  
Ju-  
CRI  
XO-  
IE-  
TRI  
nsis  
vo-  
tet,  
  
li-  
ta-  
um  
ini-  
he-  
se-  
ret.  
nqp



ſalariatum habeat Rhetorem, nullius etiam nec decentem applausum, nec decantatum encomium, nec singulare votum quoq; hoc Academiæ ſtatū unquam expertum eſt. Ita ſanè religio noſtra in lucrum transiit.

Eapropter in illud me accinxī nego-  
tium, non ex vanifimæ gloriolæ, vel turpis  
mercedis aucupio; Sed debito ſubjectiſſi-  
mæ Observantiæ & Pietatis ſtudio: aut, ſi qui  
fructus omnino sperandi ſunt, ob ſolam ejus  
Clementiæ, quam quicq; obſtrictiſſimus vaſal-  
lus honeſtē exambire debet, demerendam  
gratiā.

Nunc verò, Celfiſſime Dux, ab Eo-  
dem, ceu Genitore, ad Te delabor Filium,  
eodem planè modo & ratione. Scilicet quo  
voto perpaucis retroactis mensibus oculatiſſimum Parentem Tuum excepī; eodem  
& Te hāc Natali luce Tuā exceptum deſide-  
ro. Sufficeret ſanè in Tuā laudem illa  
ſcriptio, nuperiūs à me proſecta, ſi mutato ſa-  
tem nominis Schemate in Te transiret iſtius  
voti

voti Sūmmia & Oratio. Permitte verò mihi  
quædam hic copiosius dicenti.

Sed rem magnam affectas, ajunt, &  
campum ingrederis, quem vix pervolet Ter-  
tullianus Pegasus. Omnia consentio &  
cedo. Sed quis nescit rerum etiam maxi-  
marum Compendia. Reperit & orbis su-  
am epitomen Roma. Carolo Impera-  
tori annulus fuit, in quo præter indicem, li-  
bramenta, rotulas, etiam campanula: & hic  
digito, ut cæteri, insertus est. Homericam  
iliadem nux unica conclusit. Neque me in-  
ter hos artifices numero: hoc solum ajo,  
multa dici posse compendio: & quas dotes  
includere angustiæ huic verborum non au-  
deo, iis venerationem reservo & silentium.

Titus Flavius Imperator, Tranquillo  
teste, Cognomine Paterno dictus est A-  
MOR & DELICIUM GENTISHUMANAE. Tan-  
tum illi ad promerendam omnium volunta-  
tem vel ingenii, vel artis vel fortunæ superfu-  
it. Idem hoc nominis HUMANAE GENTIS

B

DELI-

*Suetonius in  
Tito flaxio c.  
1. mihi p. 442.*

*Suriq in Com-  
ment. Rerum  
per orben ge-  
star. ad ann.  
secular. 1500.  
dem 24. Febr.  
qui Carolo V.  
natalis.*

DELICIAS Carolo V. Imp. laudatissimo,  
dixit Germania. Ex asse utiq̄ hoc ipsum  
Tibi convenit, perfectissime Principum, ut  
non immerito SAXONIAE GENTIS DELITIAE  
dicaris. Etenim quo clementiae, & huma-  
nitatis genere Eam Tibi Tu devinctam habe-  
as, non memoro. Te ipsum insuper suprā  
quotidiana Naturæ miracula ex Parente Tuō  
Sexagenario (cui augustissimus Septem-Viro-  
rum Senatus Senioris Titulum hoc ævo non  
invidet) nobis exhibes, nec iniquè menstrua  
senescentis Lunæ dispendia, tot annis reparata,  
(diverso tamen exemplo) refers. Quot-  
diebus dies moritur, & tenebris sepelitur? no-  
tu amissa Lux lugetur, ubi alta rerum quies.  
Rursus verò cum suo cultu, cum suâ dote,  
cum sole suo eadem & integra orbi universo  
reviviscit. Tu, gratosissime Domine, hos  
omnes vincis soles, & vel ante Genitoris Tui  
fata (præfiscini dico!) Te ostendis taleni, qua-  
lem se non minorilumine altera dies post pri-  
orem occiduum: qualem post lucis jactu-  
ram



ram nocturna Cœli lampas. De Cœlo ter-  
ra disciplinam accipit, discit arbores exactâ  
hyemis inclemenciam suis revestire folijs, floribus  
colorem & odorem reddere, herbis viridem  
virtutem restituere, exhibere eadem, quæ  
mortua sunt semina: nec prius exhibere,  
quàm mortua. Tu, Germane Heros,  
hunc ipsum Humum novo incremento ante-  
cellis. Paternarum Virtutum es æmulus,  
& hoc, quod virium in Parente ex senio suo  
(quod ad Nestoreos dies protrahat Divinum  
Numen l) decedere putatur, omne in Te Na-  
tivâ virtute repullulat. Phœnix redivivus  
post sua funera nascitur, vitamq; integrum  
â seipso renatus, ex adustis lucratur cineribus.  
Odorum comportat fomitem, è quo tenu-  
em acervum molitur, qui nidus sit & Tumu-  
lus, bustum & domicilium, in quod â Sole  
flammam devocat alarum concussu. Mox  
Sabæis ramis illapsus ignis plumas populatur,  
& avem post exitium victurum consumit.  
Protinus è cinerum massâ vermis, inde ovum,

B 2

hinc



hinc alter aut idem Phœnix prodit, sibimet  
parens & suboles. Verum sanè, si divinas  
Dotes Tuas cum avitis confero ; verum utiq;  
hujus alitis specimen, & alter aut idem Phœ-  
nix audis, Princeps ; vel ante bustum Pater-  
num, quo ab eo dispar es. Expressissimam  
& perfectam hinc Sui imaginem Saxo  
Parens Tuus in Te tantoq; sperato Successore  
lætus speculatur, hoc ipso carior Posteritati  
futurus, quòd prospexerat, ne desideraretur.  
Etenim gnaviter juxtâ atq; feliciter iis artibus  
erudiri Hic Te curavit à Tuis fasciis, quibus  
ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitan-  
tur ; ut de Servio Rēge, Livius.

Istorum Trium purpuratorum viro-  
rum, quos ex Arabiâ felice, non desertâ illâ,  
quæ cultores ignorat, ad recens nati JESULI  
Cunas iter instituisse veritas historiæ nos edo-  
cet, Sine, Bone Dux, in aliquibus premam  
vestigia.

Mirata est natura Virginis Prolem,  
& nuspian visam in aëre stellam Natalitiam.

Elusa



Elusa tunc fuit sanè Astronomorum ars  
omnis, quæ et si numeratas sibi tot Cœli stellas  
jactitet, istarum motus designet, ortum obi-  
tumq; commonstret: ad hoc tamen uni-  
cum Astrum infacunda & rudis prorsùs  
obmutuit. Novum illud, quod in Te,  
Magne Princeps, miramur, Tuus met est Ge-  
nius: & nova illa cunas Tuas illustrans Stel-  
la, Tua ipsam et Virtus est,, Tua Pietas, Cle-  
mentia Tua. Hanc peregrinus ego adve-  
na specto, veneror, insequo. Nec enim  
stella ista inani solūm fulgore splendescens est,  
sed & suos radios subditorum Tuorum pecto-  
ribus insinuans. Et ut occulta ista Cœlesti  
sideris vis suis sedibus tantos Dynastas excivit,  
per institutum iter rexit, & ad JESULI cuna-  
bula perduxit: perduxit tantum? imò per-  
movit quoq; ut ingrederentur, procum-  
berent, adorarent: Parili sanè ratione Natali-  
tia hæc Tua stella, præcellentium Tuarum Do-  
tium ac Heroicarum Virtutum fulgur, non  
me perstringit solūm, sed & totum in id im-

B 3

pellit,



pellit, movet, stimulat, ut justo censu admirer eas, in admiratione stupeam, in stupore venerer. Quare quamprimum Astrum illud felicissimum affulsit, & mihi utiq̄ gratiosum illuxisse protinus exclamavi. Quid ergo sequi vetat, & cum Toparchis istis ad adorationis cultum properare ocyūs, muneraq̄ nostra, paupercula licet, ex abditâ devo-  
ti sinus abyssō depromere?

Tres isti Satrapæ suæ Regionis dīvitias, Aurum, fulva montium viscera, & fragrantes Arabicarum Arborum lacrymas & concretum liquorem, cum Thure Myrrham, CHRISTO Re-  
gi in munus obtulerunt. His quasi Sym-  
bolis apertè professi, se suamq̄ terram, suaq̄ omnia in ejus fide & potestate futura, quem tali dono cultuq̄ tam supplice fuerunt vene-  
rati.

AURUM planè regium donum est, seu dantem hīc spectes, seu accipientem. Sacram vel profanam historiam lustrem, hoc munus plerumq̄ donant, aut hoc donantur Princi-  
pes,

admī-  
ipore  
um il-  
ratio-  
Quid  
tis ad  
nune-  
devo-  
vicias,  
rantes  
etum  
TO Re-  
Sym-  
suaq;  
quem  
vene-  
st, seu  
acram  
nunus  
Princi-  
pes,  
pes, Reges, Imperatores. Cogita, sodes! auri illam ponderosissimam molem, providentissimā Davidis munificentia in Hierosolimitani templi extruptionem dedicatam, centum & octo millia talenta æquantem. Salomonis ævo Palestinæ Tributa superarunt viginti sex millions auri, ut vectigalia, ut donativa, ut didrachma in singula capita fileantur. Attabalipa, novi orbis Rex, Carolo Cæsari pro libertate septuaginta millions auri spopondisse fertur, nec tamen, malo suo fato, libertatem obtinuisse. Augustus suo Capitolino Jovi sedecim millia pondo auri addidit præter gemmas infiniti pretii. Non obibo statuas aureas, quæ Romæ in Capitlio, Theatris, Foro, Templis, Palatiis penè populum constituebant. Nobis tale ac tantum non est, Princeps Christiane: hieroglyphicum tamen suppeditabimus Tibi. Aurum nostrum Amor est, & Fides. Hanc Tibi offerimus, quam quisq; obstrictissimus Vasallus suo debet Domino. Nec aliud sanè



sanè quicquām est, quod subditorum mentes  
magis suis devinciat Principibus, ac illud i-  
psum. Hoc Tibi extrà ullam rubiginem aut  
æruginem (quam nec aurum fert:) devove-  
mus. Ita & Te, nostrā hāc virtute, futu-  
rum nobis pollicemur.

Alterum nunc gremium munusculorum  
nostrorum exsuandū est. Fert illud se-  
cum THURA. Thure potissimum Deos olim  
cultos, nec rara eo olim sacrificia arsisse histo-  
riis edocemur. Et quamvis Thus urendis e-  
tiam defunctis adhibitum, ne sine luxu mors  
iret, (Neronis exemplo, quem novissimo  
Poppæe suæ die plus Thuris cremasse ajunt,  
quam ferat annuo fœtu Arabia universa:  
nihilò minus Thura divini cultus certissima  
fuisse indicia illa tot Martyrum Testantur  
agmina, ideò trucidata, quòd statuis Thus a-  
dolere recusârint. Hoc & Tibi ergò, Saxo-  
num Jupiter! cremamus. At illud Eruditio-  
ni & Sapientiæ rectè consero. Felix hic so-  
lius Arabiæ partus est, in altis & inaccessis  
mon-



montium culminibus altè nascitur. Quid  
verò magis arduum, quam solida doctrina?  
Non illa humi serpit, non in imis otii pratis  
aditur: in alto habitat, spectat sublimia.  
Nisi & nos è sudoribus nostris Patriæ Patriæq;  
Patri (qui Tu olim futurus es:) suam partem,  
eamq; optimam adsignemus, malè utiq; in fru-  
ctuosum cedet studium. Cum Principe  
communicandi sunt Thesauri literarii. In  
hunc finem discendum, ut non nobis solum  
inde fama, sed DEO gloria, & Principi Consil-  
lium: & ex hoc Reipublicæ commodum acce-  
dat. Hoc fine neglecto, quisquis scienti-  
as sibi colligit, in pestem & perniciem suam  
fatigatur. Principi ingenium nostrum fa-  
crandum, priusquam aliis vendatur. At  
si per Thura, ad sacri Codicis censuram, arden-  
tes preces intellectas velis, Pientissime Dux:  
En & Tibi complicatis manibus nostras, quas  
calidissimis gemitibus, pro salute Tuâ fundere  
parati sumus.

Quin & MYRRHAM Tibi dicamus.  
Myrrha succus est amarisimus. Illarum  
C vicem

entes  
ud i-  
n aut  
yove-  
futu-  
orum  
ad se-  
olim  
histo-  
dis e-  
mors  
simo  
unt,  
rsa: )  
sima  
ntur  
us a-  
Saxo-  
diti-  
c fo-  
cessis  
non-



vicem lacrymæ sustinent nostræ, quas cala-  
mitosus seculi genius crudo dolore exprimit  
nobis. Suam hæ medelam à Te unicè po-  
stulabunt olim. Oportunum nunc esset,  
longum exantlatorum malorum contexere  
seriem, & exaggeratâ oratione publicas cla-  
des, & privata detrimenta percensere: At ve-  
rò nec & Te hæc nostra fugit miseria, qui &  
multoties sinisterrimo huic fato dolente men-  
te ingemiscens visus nobis es. Non ineptè,  
si benè conjicio, monitorium illud Tuæ Celsi-  
tud: Symbolum quadrat huc: SURSUM &  
DEORSUM! SURSUM, Dum DEUM, in ejusdemq  
cælestem sedem intentos habes oculos; DEOR-  
SUM: dum, qui juxta Serenissimum Parentem  
Tuum salutis publicæ depositarius es, in hanc  
ipsam fixa Tibi mens est, hancq consilio Tuo  
adjuvare laboras. Quicquid sit, nihil tam af-  
flictum, corruptum, prostratumve erit, quod  
non olim, unicè in Te defixum, velut recepto  
Spiritu eriget sese, inq novum & meliorem  
habitum festinabit adsurgere. Restat enim,  
ut illud deinceps abs Te expectare audeamus,  
in quo



in quo multorum anxia spes & conatus iam  
tum succubuerunt. Perge itaque, ceu pergis,  
patrissare, Princeps laudatissime, olim post se-  
ra Parentis Tui fata basis Imperij future solida  
& columna immobilis. Solus enim Tuæ  
Celsitudinis genius saluberrimum Legis Regiæ  
effectum sperare jubet, beneque ominari facit,  
nec fore spondet, ut Senatum Collegij Electo-  
ralis Gloriosissimum in consortium Imperii &  
Potestatis recepisse, Cæs. Majest. unquam pœ-  
niteat . I ergò nunc fato felicissimo, in centum  
vive secula, & incremento Tuarum Virtutum  
felix fruere: nec prius natale cœlum & cog-  
nata sidera repete, quam, Te fortunatissimo  
Tritavo superstite, certissimi ex Trinepote E-  
lectoratus successores extiterint!

Carpz. tr. ad.  
L. Regiam, c.  
sect. u. n. 10.

Hoc vero, Princeps optime, quod Tibi,  
ceu Pietatis officium subjectissimo veneratio-  
nis cultu exsolvo, ut proxenetam & Tuæ  
Clementiæ parariam, gratioſo supercilio re-  
ſpice: Sat mihi erit exinde, si cum cæteris pa-  
riter gratiam & favorem Tuum in me de-  
rivem, qui illud triviale itentidem mecum ru-  
minor:

Prin-

cal-  
orimit  
cè po-  
effet,  
rexere  
s clas-  
At ve-  
qui &  
men-  
neptè,  
Celsi-  
um &  
demq  
EOR-  
ntem  
hanc  
Tuo  
m af-  
quod  
cepto  
orem  
enim,  
mus,  
quo



QK  
2c  
4867

*Principibus placuisse viris non ultima laus est.  
Mihi verò hīc, si fortè cavillum patiar, villici  
dicterium apologiæ instar erit, qui Principi  
suo, contrà solitam reverentiam poculum vi-  
ni præbīens, nōn leviter placuisse fertur: Au-  
lalicisq; exinde risu extorto errorem suum, ex  
morum civiliorum ignorantia prosectum,  
sincero ergà ipsum Amore quasi retundere &  
excusatum facere auditus est, his verbis:*

**Ist es nicht höflich, so ist es doch herzlich.**

Omnia nunc edisseram compendio: JO-  
HANNES GEORGIUS Ildus, Pius, Felix, Clemens,  
Parens mox novellus, (Fortuna Puerperium  
Lucina Juno!) longævus Saxonie, Laudumq;  
Paternarum Heres, Auctor novatum: Illud o-  
lim præster, quod hāc ævi iuriū negatum!  
*Data Dresdæ, ultimo Maji. Anni currentis 1647.*

**Illustrisf. Celsitudinis**

**Tuæ**

**Devotè submissimus**

**Gottfried Finckelthaus/  
J. u. C.**

ULB Halle  
004 806 328

3



o: Jo-  
mens,  
erium  
lumq;  
lud o-  
m!

647.

aus/

me





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-30388-p0024-2


DFG

Alex. ab Alex.  
l. 4. c. 20.

Esth. c. m. v. n.

2. Macc. c. 15.

mum lugur  
ipso elegan  
ra flammis  
cineres co  
Cæsari e  
Romani:  
stridiè C  
Mensis, i  
poterant,  
devicti su  
niversi su  
pro liber  
istbus en  
tulerunt.  
quinque m  
& Persæ  
gnæ suæ  
nis decre  
rus, quo  
mus Vis  
ut Regia  
xes inau



òd hoc  
structu  
ginosos  
as, Julio  
inharunt  
lies, po  
uscung  
ales esse  
Cladibus  
iblatà u  
tentia,  
s suis ho  
m trans  
Triginta  
Jicanore:  
ntes, pu  
a quotan  
Rex Cy  
magnani  
estimavit,  
aret. Xer  
quo Rex  
dictus